*

ECCE IN TERRA COELUM SERAPHICUM,

PULCHERRIMUM, DEI ENARRANS GLORIAM, ET OPERA MANUUM EJUS ANUNTIANS FIRMAMENTUM MISTICUM.

19

ECCE COELUM

DECORA SIDERUM ORNATUM POMPA, MIRANDO gloriæ præcellens ambitu, Planetarum radians miris fulgoribus, Astrorum fervidis ardoribus flagrans, Phosphororum micans fulgentibus radiis, dum vocatis Stellis, quas posuit Deus in isto Firmamento ut lucerent, ecce adsunt, ut novum agnoscant Luminare majus, cujus egressio à summo Cœlo ut præsit, exultans ut gigas ad currendam viam, lustrans universa in circuitu, omnia fovens, omnibus favens, quin sit qui se abscondat á calore ejus.

VERè COELUM SERAPHICUM

MINORUM VVANDALICA PRO ELIGENDO VIRO, VERO Sole congregata Provincia, in quo tot luces, tot Stellæ, tot Astra clarent, lustrant, splendent, quot Magnates, quot Proceres, quot Præsules florent, poliunt, decorant Urbem, Eparchiam, Orbem.

COELUM PULCHERRIMUM

DEI-HOMINIS AD COLUMNAM LIGATI CONSTANS, jucunda sedes, stellati adinstar á telluris squalore sejunctum, umbra carens, splendore nitens, ordine dispositum, in quo (quid jucundius!) jamjam contemplabimur Astra, aureum Solis jubar, argenteas Lunæ faces, Jovis decorem, reliquos Planetas sine errore errabundos, Stellas sine quiete fixas, usque dum oriatur Sol, qui Cœli tenebit principatum, timentibus nomen Domini Dei nostri.

ECCE

ECCE ERGO PROVINCIAM BOETICAM

PRO PLAUSIBILI PROVINCIALIS CAPITULI CELEBRAtione adunatam, *Cœlum in terra*: in percelebri, inquam, nobilissima, fidelissimaque Hispalensi Civitate præclaris inclyta bellis, Templis religiosa piis, altis clarissima tectis. Hæc optima est, amœnissima terra, in qua Sacer, Magnus, Regiusque Minorum Observantium Conventus erit Domus Dei, & Porta hujus Cœli, cujus ornamenta per quatriduum virtutes erunt Prędicantium; quorum quilibet quasi Stella matutina eloquentiæ radiis lustrabit omnia, verbum eructabit bonum, verbum Domini, quo Cœli sunt firmati.

PRÆSIDEBIT IN EO

Rmus. P. N. Fr. ANTONIUS ABIAN LECTOR JUBILATUS, Majestatis Catholicæ in Regia Matritensi Synodo pro Immaculata Conceptioue Doctor Theologus, & in hac Cismontana Familia dignissimus Commissarius Generalis.

Accedite ergo, & illuminamini tot Astris, tot Stellis spargentibus lumen, ut luceat omnibus, qui in Domo nostra fuerint. Adie 5. usque ad 8. Junii, anni Domini 1772.

COM-

COMPENDIOSA COELI SERAPHICI DESCRIPTIO CAPITULAREM ADUMBRANS CONGRESUM.

SUSPICE COELUM, ET NUMERA STELLAS, si potes ; & dixit ei : sic erit semen tuum.

Geneseos 15. ℣. 5.

***

GRANDE PROMISSUM ! INNUMERAM SOBOLEM Patri Abrahamo futuram, Deus ipse testatur, impleturam Gentes, exterasque Nationes, quę unius veri Dei Majestatem cultumque profitentes, Patris fidem palam coramque referant, ac Dei pollicitationes merito nanciscantur. At verò Sanctissimum P. N. Franciscum quodam spiritali sensu Divinum illud oraculum intentum fuisse, non erit abs re censeri : quippe qui dicere potest:

Tot mihi sunt liberi quot in æthere sidera lucent;
Sidera, nec liberos non numerabit homo.

Sacra Minorum Religio ; veluti Cœlum stellis consitum, ea est quæ suspicienda profertur. Eamdem totus quâ latè patet Orbis perfectam, ornatamque liberis velut Astris conspicatus est. Hâ per orbem diffusâ, immò simulac nata est, Deum etiam ignotis Gentibus impensè coli, Euangelium anuntiari, Fidem sartam tectam custodiri, Religionem tueri, Hæreses configi, errores sacris liminibus arceri, mores componi atque in optimam frugem reduci, omnia impleri luminibus, ardore, luce. Hanc videsis Patris imaginem referentem, atque erga Deum cultum, pietatem, religionem ipsam : erga Ecclesiam observantiam, obedientiam, sanctissimas ejus leges propugnatas ac vindicatas : erga Romanos Pontifices obsequium, reverentiam, sponsionem velut Sacramento devinctam : erga Supremos Principes subjectionem, fidelitatem, honorificentiam, defensionem, jura imperii custodita : ergà genus humanum, omnemque hominum societatem benevolentiam, mansuetudinem, charitatem, firma fœdera, cuncta christianæ vitæ atque humanitatis officia. Hæc omnia nobis religioni sunt, sociali vinculo pacta. In hæc clarissimus Minorum Ordo instituto devotus.

Tan-

Tantum igitur Cœlum extenſum ſicut pellem ſtellatis pictum maculis, compendio contractum videbimus protinus, inclyta Provinciâ Bœtica circunſcriptum: namque ſiqua gloria, fulgor, lux, Aſtra, influentiâ, claritate, ardore, majeſtate Cœlum ipſum Seraphicum toto Orbe circumcingunt ornantque, ea profectò omnia Bœticam Provinciam circumfluere, in comperto eſt; atque ornatu quidem maximo. Hæc totius Cœli pars receſsit involuta, ſeſe in Hiſpalenſem Regium Conventum modò contrahens, confluens, permanens, quoadusque oriatur STELLA ex JACOB, MINORE fratre quidem, ſed qui benedictione cœleſti, Dei dono, potitus eſt. In ejus ortu, quem fauſtiſsimum inaugurari licet, Cœlum enarrabit gloriam Dei; quippe quatuor manè concionatura, Deum laudabunt Aſtra matutina: ſeu potius inſtar Aſtrorum ſunt, quos præcipuos Planetarum orbes dicimus, ***Lunam*, *Solem*, *Iovem*, *Saturnum***; quoſquè præ reliquis ſecundum motum, & influxum ſeligimus graphicè deſcribendos, ut qui Conditoris gloriam, ſapientiam, majeſtatem exprimunt, atque laudibus ordine ſuo ſublimiùs, ut par eſt, efferunt. Quæ Aſtrorum officia aliis coram Stellis, etiam claritate majoribus, tranſigenda ſunt.

Convenientes igitur in Magnam Domum Hiſpalenſem pro Comitiis peragendis (Capitulum vocant) creandoque Provinciæ Præſule, illum ad ampliſsimum munus profectò conſtituent, quem noverint optimè meritum de Religione, de præclara dignitate, de libero Patrum conſenſu, de Subditorum placitis, de exterorum commendatione, deque omnium votis, judicio, benevolentia. Faxit Deus immortalis, ut hæ Stellæ manentes in ordine ſuo, ſecundis auſpiciis, fauſtiſsimâ gloriâ, atque decore, Bœticæ Provinciæ auxilio, & ornamento ſint. Exulta ergo lætabunda, & laudans, Alma Provincia noſtra, dum electo tibi Præſule, capite conſtituto, ita renidebis claritate, ita diſsipatâ caligine, umbrâ procul ablegatâ fulgebis,

ſicut lux Auroræ, ORIENTE SOLE, manè abſque nubibus rutilat.

BOETICO-SERAPHICI COELI PRIMA STELLA: LUNA.

„QUID PULCHRIUS LUNA „(Damian.) cum, ſtellis coruſcantibus in ſigni- „fero limite, reliquorum ſiderum ſplendorem „excedit? Conſidera quàm ſtellaris, & ſerena „vibratio, quám luminoſus fulgor circularem „orbem tanti ſideris ſuperfundat, ut aliorum „luminum claritatem non mediocriter offulcet. Noviſsimus eſt Sidus, terræ familiariſsimus, Solis æmula Stella, quæ inter omnes micat clariſsima in tenebris, niveum dans viſa decorem, & ſolares, quos recipit, radios citra ullam ſplendoris jacturam liberaliſsimé per Orbem diffundens. Quid ergo pulchrius Luna?

Unam vos veteres noſtis tantummodó Lunam,
Temporibus noſtris altera major adeſt.

B.MA SEMPER VIRGO DEI GENITRIX MARIA

IN PRIMO PHISICO SUÆ CONCEPTIONIS puriſsimo inſtanti Luna numquam deficiens, ſemper plena. Luna pulcherrima, quam originalis noxæ tenebræ non comprehenderunt, ſed clarior in ipſis omnem illuſtrat Orbem, omnes ſuperat gratiæ ſplendore, juſtitiæ radiis, ſanctitatis fulgoribus; cum nihil ſit virtutis, candoris nihil, quod non reſplendeat in Virgine tanta. Et ſicut Luna inter Stel-

las & magnitudine præeminet & ſplendore, ſic inter Sanctorum animas, & Angelorum choros Virgo ſingularis exſuperat, & immenſitate gratiæ & fulgore virtutum; major omnibus, ſolo Deo minor: unde quidam:

Sol Lunâ lucidior, ⁂ *Sic Maria dignior*
Et Luna Sideribus, ⁂ *Creaturis omnibus.*

ECCE ERGO STELLAM. RESPICE MARIAM VERè ſignum magnum in Cœlo noſtro, dum in ipſo à prima apparet formatione pulchra ut Luna, electa ut Sol. Hæc Stella illa ſicut flamma coruſcans, & Regem Regum Deum demonſtrans, cujus gratia præventa, cujus ſanctitatis ſplendore in ipſa animatione illuſtrata inter ipſam micat peccati caliginem quaſi Stella matutina in medio nebulæ, & quaſi Luna plena in diebus ſuis: plena, inquam, ſibi, nobis, omnibus; cum de plenitudine ejus accipiant univerſi, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam. Sed quid? Quid conor hujus lucidæ Stellæ proſequi ſplendores, influxus, puritatis radios?

Si fieri poſſet, quod arenæ, pulvis, & undæ,
Undarum guttæ, roſa, gemmæ, lilia, flammæ,
Æthera, cœlicolæ ſtantes in vertice Olympi
Linguæ cuncta forent; minime depromere poſſent
Quæ ſit, vel quanta Virgo Regina MARIA.
Quæ tua ſit pietas, nec littera dabit, nec ætas.

Hujus Lunæ perfectæ in æternum, & teſtis in Cœlo Seraphico fidelis deteget ſplendores, præconizabit laudes P. Fr. HIERONYMUS de MERA Prædicator generalis, & in Utrerenſi Conventu meritiſſimus Præſes; cujus *eloquium dulce*, cujus *ſermo opportunus erit, & optimus.*

BOETI-

BOETICO SERAPHICI COELI SECUNDA STELLA: SOL.

QUID LUCIDIUS SOLE? MUNDI EST OCULUS, Cœli gratia, & decus, diei jucunditas, vitæ origo, cor naturæ, auri, & gemmarum Parens, temporum moderator, Siderum Princeps, fons lucis, Orbis miraculum, pulcherrimum Dei ter Opt. ter Max ſimulacrum. Hic benefici Numinis vicarius luce, motu, calore, panſpermiâ omnia implet, cœleſtis aulæ munera diſtribuit, ubique largus, ſemper munificus, numquam non efficax. Quanta in mole magnitudo! Quanta in motu velocitas! Quanta in lumine claritas, in calore energia!
Quid ergo lucidius Sole?

Aſpice inexhauſtum fœcundò lumine Phœbum,
Et clarum totò grandius Orbe jubar:

AMANTISSIMUM, ET CHERUBICUM

P. N. S. DOMINICUM.

BOETICO SERAPHICI COELI LUMINARE MAGNUM, Minorum Fratrum Parentem optimum, ornamentum decoris, gloriæque incomparabilis.

HIC SOL PULCHERRIMUS, ARDENS LUCERNA, facula lucens, fugans tenebras, & totum Orbem, adhuc dum latebat, illuminans. Hic Stella fulgida, dum ſignatus apparuit Univerſo ſpargendi fulgoris fronte gerens non manufactum mirabile ſignum. Pater enim N. quaſi Sol refulgens, ſic effulſit in Templo Dei omnibus omnia factus, totus ſingulis. Lumen undequaque diffudit; luſtravit omnia, Europam, Africam, Aſiam, Americam verbo, exemplo, progenie. Omni loco, omni tempore, hominibus

bus omnibus lucem, quam ex luminum fonte recepit, ita sine invidia communicavit, ut dicere possimus apposité:

Dum rutilat Phœbi speculum splendore corusci,
Inde nitore suo proxima cuncta micant.

SOL TRIPLICITER EXURENS MONTES

ZELO RELIGIONIS, CHARITATIS ARDORE, rigore correctionis in superbos Hæreticos insurgendo, igneos radios exuflans in Albigenses, Græcos, Agarenos, Sacramentarios, Hugonotes, & alios, prout Concilia clamant Viennense, Constantiense, Basiliense, Florentinum, Lateranense, Lugdunense, Tridentinum. Sed quid de doctrinæ lumine, de virtutum splendore, de miraculorum admirabili claritate proferam? Radio doctrinæ illuminavit obscuros; fugavit ignorantiam: radio virtutum excitavit tepidos, fugavit negligentiam: radio miraculorum convertit obstinatos, fugavit duritiem. Veré refulsit Pater noster amabilis. Fulget & adhuc tot viris piis, tot filiis, tot Doctoribus, qui quasi hujus Jubaris fulgentissimi radii Mundum illustrant Universum. Fulgebit denique quasi Sol in æternum in conspectu Dei.

***

Tanti Patris, tam rutilæ Stellæ pandet lumina cunctis, personabit virtutes P. Fr. JOANNES BARREDA Prædicator generalis, & Apostolicus, atque in Portuensi Conventu Guardianus dignissimus; *& erunt ut complaceant eloquia oris sui.* Patribus veró congregatis Conscriptis, Electoribus isto mané in comitio adunatis perorabit egregié P. Fr. DIDACUS RODRIGUEZ in Conventu Syngiliensi Studiorum Regens.

BOETI-

BOETICO-SERAPHICI COELI TERTIA STELLA: JUPITER.

HOMINUM GENERI PROSPER, ET SALUTARIS ille fulgor, qui Jovis dicitur, benignissima est primæ magnitudinis Stella, Fortuna MAJOR ab Astronomis appellata. Hæc Martis furorem, Saturnique mitigans malignam influentiam, aëris præstat serenitatem jucundam, æstatis refrigerat ardorem, hyemis temperat frigiditatem. Globus valdè rutilus Planetas MINORES (si Venerem excipias) cùm quantitate, túm claritate superans; quatuorque Stellis motu, magnitudine, situ, distantiâ differentibus, continuas circa ipsum perficientibus revolutiones, quasi Rex satellitibus stipatus conspicitur. Mirabilis Stella! Sed longè mirabilior

S. P. N. S. FRANCISCUS ASSISSIENSIS

NOSTRI VASTI RECTOR OLYMPI; COELI SERAphici Jupiter beneficus, Mortalium MAJOR hæc Fortuna MINOR, omnibus solatia fundens, omnem illustrans Orbem. Audi Civitatensem Ecclesiam:

Ecce de summo nova lux Olympo
Fulgurat terris subitò coruscans,
Nempe FRANCISCUS populos inermis
fulget in omnes.

EN PATREM PAUPERUM, EN JOVEM MAXIMUM,

QUI COELI NOSTRI TENET PRINCIPATUM, ut cum Homero pronunciare possimus: *Cœlumque Iovi conce-*

concedditur altum: Et cum Aristoph. *Iupiter sanè pauper est &c.* Radiis virtutum; sanctitatis eximiæ mirè resplendens globus, quatuor præclaris Religionis Minorum stipatus Stellis, quatuor, inquam, inclytis Proceribus, dignissimis Generalibus Observantium, nempe, Conventualium, Capuccinorum, atque Tertiariorum Regularium, qui quasi clara Sidera, Ioveque MINORA circa ipsum ut centrum revolutiones suas indesinenter peragunt, lucem mutuantur. Omnium nostrum amantissimus Parens, beneficus protector, cui jam illud adoptamus Ovidii:

Sancte Pater Patriæ, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit; hoc dedimus nos tibi nomen eques.
Hoc tu per terras quod in æthere Iupiter alto
Nomen habes; Hominum tu Pater, ille Deûm.

ET JURE QUIDEM. NAM SS. PATER BENIGNUS est, gratus, rutilus quasi Jupiter, micans meritis, illustrans exemplis, Divinum mitigans sua gratia furorem, commissamque sibi super omnia potestatem maximam; & regale sigillum in corpore gestans ab ipso Jesu-Christo impressum in omnium exercet auxilium, patrocinium perpetuum.

Dicamus ergo cum Mantuan.

Tu placidum terris Sidus quod liberat omnes
A pelagi furore rates; quod luce benigna
Saturni Martisque graves eliminat iras.
Tu nobis Helice, nobis Cynosura, per altum
Te duce vela damus, portus habitura secundos.
Tu mare, tu ventos, tu sidera cuncta, Deumque
Concilias; tu tuta salus, tu pacis origo,
Tu commune bonum, generis tu gloria nostri.

Sed ecce jam hominem, cui fas est cum Jove posse loqui; P. inquam, Fr. CHRISTOPHORUM ROLDAN Prædicatorem generalem, & in Ursaonensi Conventu optatissimum Præsulem; in cujus labiis diffusa est gratia, ut debitas posit tanto Patri rependere grates.

BOETI·

BOETICO-SERAPHICI COELI QUARTA STELLA: SATURNUS.

NULLUM FERé BONUM SINE MIXTURA MALI. Cœlo, ubi benigna, tranquillaque cogitamus omnia, exitialis ille vagatur Saturnus minas ſpirans, infauſta prædicens, luctuoſos præſignans eventus. Hæc illa eſt plumbei, fuſcique coloris Stella, cujus natura frigida, cujus aſpectus horridus, cujus iter velox, & præceps, malignus influxus, omnia ſœva, crudeliſsima omnia. Subterraneis dominatur cavernis, tenebroſis antris, gelidis ſepulchris. *Rephan* (Deus temporis) dicebatur olim, cujus caracter falx, qua tempus edax cuncta demetit, abſumit omnia. Unde illud:

Marmora diſcindit vis temporis, ac neque ferro
Inhumana tollit cunctaque falce ſecat.

PROH DOLOR! *NOS AMOR IN LACHRYMAS IRE, ac ſuſpiria cogit*, dum ad hujus infauſti, formidabilis Sideris aſpectum infandum cogimur renovare dolorem, triſtiſsimam memoriam Celſorum Procerum, clariſsimorum Principum, Tutelarium noſtrorum

EXCELENTISSIMORUM

D. D. MARCHIONUM DE AYAMONTE,

QUORUM HODIE MEMORIAM FACIMUS.

HEROAS DICIMUS INCLYTOS, MAGNATES, Optimatesque clariſsimos atque conſpicuos, & ſanguine

amore, obsequio, gratitudine. Enim veró nos tanta benignitate atque dulcedine allectos Tantorum Virorum demulcet memoria, ut semper in animo sit grates rependere pro eorum erga nos magnificentia, liberalitate, pietate, gratia. Quamobrem Cœnotaphium eorum nusquam moriturae recordationi erigere arbitrati sumus, unde quasi

executes audimus voces illas lugubres Provinciæ
nostræ dolore quàm inten-
siori expressas:

O cineres! O relliquias! O pignora vitæ!
O tumulum, noster quo tumulatur amor!
Lugete Heroës primo de sanguine Regum
Amissos è vestra nobilitate Viros.

HOS INTER SUPEREMINET OMNES, QUI NOSTRIS temporibus omnium Prædecessorum avitum sanguinem, virtutes avitas, magnanimitatem, generosos animi motus, diu semperque excitatos affectus erga nos,
compendio complectitur:

EXC.mus D. D. BONAVENTURA OSSORIO
DE MOSCOSO

PHELIPEZ DE GUZMAN, DAVILA, ROXAS, HURTADO de Mendoza, Fernandez de Cordoba, Comes de Altamira, Marchio de Astorga, Leganèz, Ayamonte, Dux de Sanlucar la Mayor, Princeps de Aracena, Dominus septem Villarum de Campos &c. & Seraphicæ Provinciæ Bœticæ insignis Patronus, qui impensum patrocinium, qui protectionem amplissimam, qui opes, beneficia, cor ipsum promptum & ardore devotum, nobis utcumque largitur. Unde jure mer[i]to Hæc Provincia suo adeo conspicuo Mœcenati gratanter dicere audet: O

Mœcenas atavis edite Regibus,
O & præsidium, & dulce decus meum!